

tas aliqua vel fingenda est temerè, vel admittenda improuidè.



C A P V T X I I I.

*De efficiente caussa Chymicæ: quæ inprimis
sit Medicus*

Efficiens caussa, nomen ab arte habet, & Chymicus est: plura sub se continens, quib. tum adiuuenti tum instrumèti vice vtitur. Sæpiùs autem contingit, quando non vnũ duntaxat, sed alia complura enititur artifex, licet ad vnum contédant architectonicum finem omnia, à diuersis tamè effectis, diuersa quoq; nomina sortiri. Logicam definit Zabarella, habitum *ὄργανικόν* à Philosophis ex philosophiæ habitu genitum. Ea ergo Philosopho genitori debetur, & Logici nomen Philosopho. Id impræsentiarum de Chymico dicimus, cùm is suo fine, otiosa nimirum præparati remedij cõtemplatione, neutiquam contentus, aliò respiciat, & ad ægrotarum affectionum artificiosam curã omnes suos conatus destinet,

*1. de natura
Logicæ
cap. 20.*